

creasse, conveniebat cum infinitis Dei & summis perfectionibus, præprimis Sapia. Creaverat enim Deus hoc Universum ad manifestandas omnes & infinitas suas virtutes & perfectiones. Creaverat hominem, ut ab eo agnosceretur & cultu se dignissimo coleretur. Dignum itaque Sapientia Divina opus erat, hominem creare fini intento, ipsique constituto, convenienter, talibus hinc inde instructum qualitatibus, quibus Deum ut perfectissimum agnoscere, ut omnium Creatorem ex omnibus viribus perfecte glorificare, & in eo tanquam Summo Bono & suo Exemplari cum spe obtinendi præmii æternæ fruendæ beatitudinis suavissime acquiescere poterat. Hoc itaque, quemadmodum Dei Sapientia postulabat: ita etiam actu Deus primos nostros parentes in perfectione fini convenientissima creavit, qua nempe aptum erant Deum glorificandi instrumentum; id quod in præsentis negotio, quantum vires valebunt, breviter ostendere & illustrare jam finis & animus est.

§. 1.

Veritas est omnium notissima certissimaque, hoc Universum esse mere contingens, adeoque suæ existentia rationem sufficientem habere non in se, sed in Ente absolute Necessario, ab ipso Universo distinctissimo, consequenter ita existente, ut non possit non existere, verum, quod rationem suæ existentia in sua habeat essentia, adeoque existat vi sua propria, ergo A se ipso. Existit itaque Ens A se, quod continet rationem sufficientem existentia hujus Universi, id quod appellatur Deus.

Potuis-